



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 9. Perperam Philoponum locum hunc calumniatum fuisse ad tex.
com. 39

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

indicat, antecedentia illa verba (ea, quæ sunt) res præsentis significare. Porro consilium crescere ait Philoponus, quoniam actione & operatione virtus quæque & facultas perficitur & augetur; quiete & cessatione læditur, contabescit & dissoluitur. Siquidem Hippocratis quoque sententia Motu firmiora & robustiora euadunt corpora, quæ otio ac desidia eneruantur & marcescunt. Aut potius præsentibus rebus consilium crescit, quod alijs atque alijs euentis prudentiores ac sapientiores reddamur; plutimarum scilicet rerum vsu atque obseruatione edocti. Ac rursum alio in loco de somniis loquens, quorum diuersitas ac differentia ex rebus oritur, quæ inter vigilandum sentiuntur; phantasma seu visum, quod

A dicitur, *visum* pro *diaporia* & cogitatione positam fuisse: *potius* autem, siue consilium, siue prudentia, siue aliud quiduis, in intellectu solum consideratur. Deinde *diaporia* quoque, vt in 2. lib. sapientius adnotatum est, & post rursum intelligitur, cum *visum* *visum* dicatur, ad intellectum pertinet. Tum verò obiectum præsens in hac vniuersa disputatione illud intelligitur, quod per seipsum cognoscenti facultati propositum est. Vt ita sensus, qui præsentia solum percipit, à facultatibus cæteris distinguatur, quæ absentia quoque & procul distita comprehendunt. Alioqui si præsentiam item intelligas, quæ siue per obiecti cognoscendi speciem est, siue per cognitionis actum vt obiecti cogniti formam; omnis facultas presentium rerum est; vel etiam phantasia, quæ absentium; & memoria, quæ præteritorum esse dicuntur; omniumque maximè intellectus, qui tum remotissima quæque, tum verò ea, quæ non sunt, cognoscit & comprehendit. Iam verò solus sensus præsentia sentire creditur; phantasia & intellectus tum præsentia, tum absentia; memoria absentia duntaxat, hoc est præterita.

Digestio ix. Perperam Philoponum locum hunc calumniatum fuisse.

Simplicius Theætetum quidè apud Platonem scientiam cum sensu confudisse scribit; secus tamen Empedoclem atque Homerum sensisse: Aristotelemque verba solum minus cautè pronuntiat, quæ aliam in partem trahi possent, confutasse. Philoponus autem hisce illorum locis abusum esse philosophum inueniens, pro illis responderet: Empedoclem in priori loco *visum* non intellectum, prudentiam, aut consilium; sed *diaporia* seu cogitationem appellasse, quæ inter intellectum & sensum media est. Neque solum sensum, sed cogitationem quoque, immò magis, circa præsentia esse. Siquidem sensus obiectum habet extra se, cogitatio intra se positum ac sibi planè præsens. Denique idem de intellectu dici posse, si de illo loquutus sit. Alterum locum ad rem citatum fuisse fatetur: nec tamen deesse, qui pro Empedocle respondeant (vt post Simplicium etiam exponit). Tria esse somniorum genera. Vnum ex reliquijs sensuum, ac phantasia à sensibus permota excitatum. Alterum à rationali anima quidpiam querente, eoque tempore à corpore soluta facilius inueniente profectum. Tertium diuinitus immissum ad futurum aliquid significandum. Empedoclemque de illo solo somniorum genere, quod à rationali anima fit, loquantum fuisse, cum prudentiam appellauit. Postremò tertium Homeri locum ait Philoponus ab Aristotele perperam intellectum fuisse: eumque non sensum, sed mentem appellasse *visum*; *visum* autem seu in dies, non præsens sensibile, sed fortunam aut fatum. Hac videlicet sententia; Talem esse hominibus mentem, qualis est eorum fortuna. Quam tragicum illud interpretari dixeris.

C In altero loco nescio quam Empedocli cõsentanea sit tripartita illa somniorum ratio. Certè vt verum sit aliqua diuinitus immitti atque interdum fuisse immissa: quæ tamen ab interno in nobis principio nascuntur, ex sensuum reliquijs excitantur omnia, suntque non rationalis animæ, sed interioris sensus, cuius passio est somnus: at non quæ *visum* est, sed quæ *visum* est. Sic. n. distinguere nos docet Aristoteles, qui in cap. primo libri de in somniis proposita hac quæstione, somnietne anima quæ intelligens an quæ sentiens est, posteaquam somniandi vim propriam conclusit esse animæ sentientis, eam præterea distinctione vitur, vt somniorum effectio propria sit eius, non quatenus actu & simpliciter sentit, sed quatenus phantasia & imaginatione vitur. Nempe in somnis, neque exteruo oculorum auriumue sensu percipimus ea quæ aut cernere aut audire nobis videmur; & sensus ille internus, qui communis sensus est appellatus, nullo, vt talis est, suo munere defungens, nisi quoad agentibus externis sensibus communis iudex interuenit, cum ijs in somno ea ex parte consopitus, partes agendi phantasia relinquit. Ea ex rerum imaginibus quæ in vigilia ad sensum atque in cerebrum penetrarunt, visa illa efformat quæ dormientes quasi integris sensibus percipere videmur. Fit aliquando interim, vt liber animus ab interpellatione exteriorum sensuum, vel ex acceptis rerum speciebus sincerum intelligat aliquid, vel phantasmata ipsa castiget, somniaque esse inter somnia ipsa percipiat. Verum hoc rarum ideo esse oportuit, quod perpetua intellectus vigilia si perpetua item actione sese, etiam in somnis, testaretur, necesse esset, quoniam ille in hac vita necessario ministris sensibus vitur, nullam esse quietem sensuum, eosque ne quid consopiti animum falleret, in rem perpetuo intentos atque arrectos esse: quod consistere cum hac corporis imbecillitate non potest. Non igitur cum prudentiam homini cumulari dixit Empedocles alia atque alia semper præsentium rerum accessione, ad hanc mentis in somno agitationem respexit, vt Philoponus interpretari eum studuit, sed Aristotele teste, cum ita præsentibus rebus atque euentibus mentes alligauit nostras, vt pro illorum

Ἡ ἐστὶν τὸ ζῆλον ὃ τὰς ἐπιθυμίας κερταίνει. hoc est. Fortuna nobis prout est, est ingenium.

Cum enim pauper est quis, moribus est modestus; flagitiosus & nequam, si diues euaserit. Quod non de quibusuis, sed de focordibus, intemperantibus, & materiale vitam agentibus hominibus intelligendum esse significauit Poeta *ἐπιθυμίας*, id est terrenorum, adiungens. Sapientes. n. & qui ex virtute viuunt, non ita mutantur.

Verum hæc veterum aduersus Aristotelem suscepta defensio parum perfectò firma est, parumque sapienter instructa. Etenim absque ratione

D **E**

AAAA

Tria somniorum genera.

videretur, nequaquam eum à sensu differre con- cluserunt; ignorata scilicet differentia, qua di- stinguendus erat. Vt enim qui rationale, hominis differentiam, ignoraret, distinguere hominem ab animalibus cæteris non posset: sic illi incorpo- ream intellectus differentiam nescientes, intel- lectum à sensu diuersum facere nequiuertunt.

Cæterum quid Aristoteles senserit, alibi dicendum erit. Interim prætermittendus non est hic locus. In quo cum antiquiores reprehendat, quod corporeum intellectum fecissent; & ideo eum à sen su non separassent: manifestè ostendit se incorporeum facere atque hoc nomine sepa- rare, quod sensus corporeus sit, intellectus incor- poreus.

Locus autem, in quo ait initio commemo- ratam fuisse veterum illam sententiam, simile si- mili cognosci; aut est in primo lib. à tex. 76. & deinceps; vbi aduersus eam ex instituto disputa- uit (idcirco enim illi animam ex entium omni- um elementis & principiis constare inquie- bant, vt cognosceret omnia; quippe simile simi- li cognoscitur) & ideo locum illi appellat sermo- nem circa initia: vel quod initio tractationis hu- mus de anima habitus sit: vel quod de principiis, ex quibus constaret anima, in eo differeretur. Aut etiam fortasse, vt Simplicius censuit, est textus 51. & 54. libri secundi; vbi cum ab illis diceretur simile simili cognosci; definiuit ipse quomodo id verè dici posset: nimirum post ha- bitam cognitionem, qua obiectum cognoscenti assimilatum est. Porro hunc locum vocat sermo- nem circa initia; quoniam in ipso principio eius orationis continetur. qua de sensu deque cognoscitibus facultatibus dicere aggressus est.

idèò corporeum intellectum facerent neque à sensu diuersum, quod simile simili cognosci cre- derent. Quo fundamento diruto atque euerso tota illicò opinio corrui: aut certè eam quo- que demoliri facilius fuerit.

Propositionem igitur illam hoc nomine re- prendit, quòd qui cognitionem similitudinè constare affirmarunt; erroris quoque, deceptio- nis & ignorantia, quæ veræ cognitioni ad- uersantur; docere causam debuissent. Eòque magis, quòd animalibus familiarior deceptio est, quàm cognitio; in eaque diutius versantur. Id verò propterea euenit, quòd facilius sit er- rare & decipi, quàm veram assequi cognitio- nem. Siquidem hoc pleribus omnino opus ha- bet, quæ non semper adsunt omnia: illud sta- tim consequitur, si vel vnicum eorum desit, quæ ad obtinendam cognitionem veram ne- cessaria sunt: Cognitionem veram nisi labore plurimo & industria, ab aliisque edocti, non consequimur: in errorem ac deceptionem nos ipsi per sepe absque labore vilo incidimus. De- nique vera cognitio paucorum est, error & de- ceptio plurimorum: Diuturniorque deceptio est & ignoratio, quàm cognitio vera: quo- niam ad hanc non nisi post longum tempus at- tingimus. Si ratione similitudinis cognitio fieret, quòd anima nostra ex rerum omnium constaret initiis: naturalis nobis esset rerum om- nium cognitio atque scientia. Iam verò abs- que vlla nascimur cognitione, diùque ne ipsas quidem animæ actiones exequi valentes in sum- ma ignoracione versamur: sæpè à diuersis per- turbacionibus aut occurrentibus rebus vitæque necessitatibus à veritatis studio animam retra- hentibus impedimur: & omnino non nisi mul- to labore plurimoque tempore cognitionem rerum ac scientias nobis comparamus. Accedit, quòd ea, quæ nouimus, minima pars eorum sunt, quæ ignoramus. Causa, inquit Sim- plicius, est in cursu animæ ad corpus & genera- tionis complicatio: atque vt Philoponus lo- quitur, quæ in materia est, animæ hebetudo. Sicut enim eorum, qui in pestilentis loco ha- bitant plures agrotant, quàm sani sunt: sic & in animalibus, quæ in generatione sunt, plus valet auctoritate ignoratio, quàm cognitio. Ea- dem pestilentis loci similitudine vsùm quoque fuisse Proclum in Alcibiade primò adnotauimus in superioribus, dum de vnione animæ cum cor- pore in secundo libro diceremus. Certè negari non potest, materiam ad cognoscendum ineptam esse, pondusque corporis obesse non parùm, at- que impedimentum animæ ad intelligendum & contemplandum adferre. Quam ob rem caput ex carne ferè factū fuisse, in Timeo tradidit Plato ne intelligenti animæ, cuius ea sedes est, mul- ta caro ad intelligendum esset impedimento.

Ergo vt ad propositionem illam (simile simi- li cognoscitur) reuertamur, cum nihil aliud ab ijs, qui de cognitione ita pronūtiarunt, dictum sit de deceptione, necesse est, aut nullum dicere vnquã dici neque errare, sed omnia, quæcum- que nobis apparent, vera esse: quemadmodum Democritus dixisse legitur in tex. 13. lib. 1. & Pro- tagoras in tex. 19. lib. 4. Metaph. & cap. 6. lib. 11. & apud Platonē in Protagora. Hoc n. si sit, nullā opus est deceptionis causā ad ferre. Aut deceptionem

Fam- liarior deceptio quàm cognitio

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

TEXTVS.

Καὶ τοῦδε ἔμοιγε τὸ ἰσχυρῶς ἀπὸ λέγειν οὐκ ἐπι- περὶ τῆς ζώου, καὶ ἀπὸ τῆς ζώου ἐν τοῦτοις διατελεῖ ἡ φύσις. διὸ καὶ οὐκ ἐστὶν ἡ τοῦ ἀσπείρου λόγος, πάντα τὰ φαινόμενα ἴνα ἀρῶν, ἢ τῶν ἀνομοῦν διέξω, ἀποστῶ ἔντα, ἔξω τοῦ ἐνασπείρου τῶ ὁμοῖο τῶ ἑμοῖο γινώσκων ἄνευ ὁμοῖο ἢ ἀπῆται καὶ ἢ ἐστῆται τῶ ἴνα τῶν ἢ αὐτῶν εἶναι.

Atqui oportebat eos de deceptione quoque simul dice- re. Animalibus namque familiaris magis, atque in his anima plus temporis consumit. Quare necesse, velut quidam aiunt, omnia, quæ apparent, vera esse: vel dissi- milis tactum deceptionem esse. Nam hoc contrarium est, quod est simile simili cognoscere. Videretur autē & deceptio & scientia contrariorum eadem esse.

COMMENTARIVS XLI.

Commemorata veterum opinionem ita philosophus exagitare aggreditur, vt posteriorem primū illius propositionem qua si- mile simili cognosci dicebant, reprehendat ac confutet; aut si malit Simplicius, aduersus eam instet (non enim satis intelligo, cur is non con- futationē, sed instantiam appellari velit) Aduer- sus hanc autem posteriorem propositionem sta- tim disputat quoniam ea totius illorum opi- nionis causam & fundamentum continebat: cum

AAAA ij

respondere attactum dissimilis esse. Nam cum contrariorum contraria sit ratio, si cognitio ratione similitudinis sit, deceptionem consequens est dissimilitudine constare. Propterea ex deceptione potius, quam ex ignoratione, duxit argumentum. Quoniam ignotio priuationem significare videtur; deceptio habitum veræ cognitioni oppositum; quem ex opposita causa proficisci credendum sit.

Ignoratio & deceptio quid.

Cum autem tactum nominauit, Philoponus eum credidit in hoc etiam reprehendisse Empedoclem; quod intelligentiam, aut *diarion* tactu diceret: proque illo respondit, eam vocem omyonymam esse, atque alium esse aspectus tactum, alium ipsius tactus, alium intellectus. Verum non ideo Aristoteles Empedocle accusauit, quod intellectum diceret esse tactum: sed quod simile simili cognosci affirmaret. Ex hocque deducit deceptionem item à dissimili fore: sique cognitio est tactus rei similis, deceptionem dissimilis rei tactum esse: ac propterea vtramque fieri, quod similia aut dissimilia sese tangant.

Postquam verò horum duorum alterum necessario dicendum esse deduxit; illud, quod erat primum, prætermisit. Aut quod in Metaphysicis libris confutatum esset: aut quod ad hunc locum non pertineret: neque ab Empedocle, aduersus quem disputationem susceperat, sed ab alijs, diceretur. Alterum verò, quod ad rem magis atque ex Empedoclis assertionem consequens erat, postremis verbis ad hunc modum confutat. Ad eandem scientiam spectant contraria, ut bonum esse vtile & malum noxium: At hæc sanè dissimilia sunt: scientia igitur dissimilium est; neque cognitio ratione magis similitudinis sit, quam dissimilitudinis. Puto etiam verbis illis argumentum ad maius contineri. Scientia contrariorum est: at contraria dissident magis, quam dissimilia: multò igitur magis dissimilium est; neque cognitio à simili solum similitudinis ratione fit. Non enim ea potest duobus contrarijs, quæ tantopere dissimilia sunt, similis esse: sed si eorum alteri similis est, alteri dissimilis erit; & tamen vtrumque comprehendit. Idem argumentum de deceptione fiet, & vtramque philosophus complexus est. Siquidem deceptio quoque scientiæ opposita contrariorum est, quemadmodum scientia, quique bonum ignorat esse vtile, idem ipse ignorat malum esse noxium: at duobus contrarijs non potest esse dissimilis; non igitur fit ratione dissimilitudinis. Hæc aduersus Empedoclem Aristoteles disputauit.

TEXTVS.

Ὅτι τὸ οὐδὲ ταύτ' ἐστὶ τὸ ἀπὸ διάνοιας καὶ τὸ ἔργον, ἡσυχία τὸ πρὸς τὸ πᾶσι μάλιστα, τὸ πρὸς τὸ ἀλγίον ἢ ζῶον.

Non esse igitur idem sentire & sapere, manifestum. *Tex. 15.* Illud enim omnibus inest, hoc autem paucis animalium.

COMMENTARIVS XLII.

Philoponus, Simplicius, & Aueroes (vtrique quoque adnotatum est) verba hæc respondere dixerunt particulæ illi (quoniam) à qua disputatione philosophus hanc exortus est: quæ hæcenus suspensa fuerit sententia. Ego vero eum arbitror post confutatam posteriorem veterum propositionem, qua simile simili cognosci debebant, aduersus priorem disputare; simulque sententiam suam statuere. Quare cum duo ab illis affirmarentur, tum in quam intelligere, tum sapere, idem esse quod sentire: & ipse duo item probet. Alterum, sapere & sentire non esse idem. Alterum, neque intelligere. Hæc S. Thomas ad illa duo voluit pertinere, quæ in intellectu considerantur: & sapere quidem significat iudicium, intelligere autem apprehensionem.

Quam interpretationem multa reuellunt. Primum, quod sapere paulo post pars quædam intellectus commemoratur. Deinde, quod eodem intellectu usurpanda Aristoteli fuerunt hæc voces in sua firmanda sententia, quæ in confutanda aliena: at ea verò secus omnino usurpabatur.

Tum verò, quod apprehendere antecedit iudicium, siquidem de apprehensis iudicamus. At hic potius de sapere, quam de intelligere, sermo est. Præterea vel apprehensionem dicens, primam mentis nostræ functionem significat, vel quamlibet eius cognitionem. Et iudicium item aut illud dicit, quod in affirmatione & negatione versatur; aut omne profus, vel illud, quod simplex est, & cum sensu etiam commune. Si quamlibet apprehensionem & iudicium intelligi velit; separanda ea non fuerunt: siquidem nulla est cognitio sine iudicio, nec iudicium vllum sine cognitione. Sin autem solam primam simplicium apprehensionem, solumque coniunctum iudicium; præterquam quod hæc sibi vicissim non respondent; non intellet vniversè probatum, omnem intellectus cognitionem, omneque iudicium à sensu differre. Accedit, quod si actionem eam, quæ est iudicare, Philosophus voluisset à nobis intelligi; eam non dixisset *ἔργον*, sed *ἔργον* qua voce læpè antea usus fuerat ad eam actionem significandam.

Maluit Philoponus *ἔργον* intellectum theoreticum, & *ἔργον διανοίας*, quæ intellectus potentia est, significare. Sed in altero nimia est vocis abusus, in altero aperta mutatio, si quod Aristoteles dixit *ἔργον*, tu *διανοίας* intelligas. Credendum potius est, aut *ἔργον* cognitionem omnem intellectus propriam significare, & *ἔργον* cognitionem quantum à nobis ipsis excitatam intrinsecus, & ideo diuersam à sensu, quia præ sente sensu ad agendum prouocatur. Aut si mutanda sit vocem significatio *ἔργον* actionem practicam prudentiæ propriam dicit, *ἔργον* verò quæcumque intellectus cognitionem, siue practica sit, siue theoretica, siue necessaria, siue probabilis. Siquidem harum omnium exempla legimus, *ἔργον*, *ἔργον*, *ἔργον*, prudentiam, scientiam, opinionem.

Ergo hanc conclusionem probandam statuit. Sapere & intelligere non esse idè quod sentire, neque facultatem eadem intellectu & sensum. Vt.

vtouis rerum, siue necessariarū, siue contingentiū genere, solam habet probabilitatem. Ita genus omne intellectōis comprehenditur.

Opinionem porrō veram dixit; non prudentiam veram, nec scientiam veram. Quōd opinio vera esse possit & falsa, velut Dardali statua, vt apud Platonē in Manone loquutus est Socrates; quā nisi ligentur au fugiunt. Prudentia non nisi ex rectā rationis præscripto: nec scientia, nisi vera. Immo hæc non falsitatē modō & errorem, sed formidinem quoque omnem & dubitationem pellit. Intellectōnem non rectam nequaquam partitusest, nec singillatim exposuit: quia vno cōtrariōrum cognito facile alterū intelligitur. Propterea vniuersē solum dixit eam esse, quæ prudentiæ, scientiæ, & opinioni veræ aduersatur. Hæc autem sunt imprudentia, error seu deceptio ignoratiōis, quam prauī habitus & affectiōis vocant, falsaque opinio. Et hæc quidem est propositiōis explicatio.

Assumptiōis verō, quæ sentire dicitur semper esse rectē, numquā non rectē; illa est probatio: quoniam sensus circa propria obiecta semper est verus, numquā falsus. Nimirum si tres illæ adfuerint conditiones, quas interpretes græci adnotarunt. Si organum inquam fuerit benè affectum; si obiectum nec nimis remotum nec plus æquo propinquum; si denique mediū opportunè dispositum, neque aliena re contaminatum aut impeditum. Ex vtraque autem hac propositiōe quilibet potest argumentum concludere; Intelligere atque sentire, intellectum & sensum, idem non esse.

Iam sensum, quæ deterior animæ virtus est, non errare ait Philoponus, quando circa singula per se & seorsim versatur: at si cum intellectu coniungatur, qui res vniuersas cognoscit, facit vt ille erret, notiones vniuersas particulares efficiendo. Assumptio enim in ratiocinatione practica particularis est atque ex sensu accepta.

Quæ cognitio propter singularum rerum mutationem & inconstantiam minus certa est, & interdum falsa. At hæc minime sunt ad rem: Cum Aristoteles non de practico solum intellectu, sed vniuersē loquatur. Quamobrem satis fuerit affirmare; causam, cur sensus numquā erret, aut certē vt Themistius & Simplicius inquit, plurimum verus sit; intellectus autem erret per sepe; duplicem esse, tum obiecti conditionem, tum cognoscendi modum. Sensus angustum & limitatum, certoque entium genere contentum, atque adeo in aperto positum obiectum habet.

Intellectus amplissimum, vastissimum, & occultissimum. Sensus rem præsentem cognoscit, simplicique intuitu & absque compositione cōprehendit. Intellectus absentia plerumque, abstractione vtens, compositione, atque vnius ex alio ratiocinatione. Qui sane transitus ex vno in aliud erroribus multis ac deceptionibus est obnoxius. Vnde in tex. 22. libri noni Metaph. loquens philolophus de intellectu siue ratiocinatione operante, deque simplicium cognitione, in ijs dixit falsitatem non esse, sed ignoratiōnem meram aut frustrationem. Quoniam intellectus aut rem attingit totam, aut planē non attingit. Ad modum etiam operandi pertinet; quōd intellectus noster cum sensu coniunctus non nisi per sensum intelligit; vixque potest comprehendere quidquam,

Sensus
semper
verus.

Cuius
sensus
numquam
erret,
intellectus
satis
facile.

quod sensu non comprehendatur. Idcirco dum ipse aut sensum prius sequitur, eo modo res comprehendendo, quo proponuntur à sensu: aut liberius excurrit; errat per sepe: vt in entium spiritualium, quæ à sensibus remota sunt, cognitiōne manifestum est. Neque hoc tam intellectus, quàm sensus imperfectionem testatur.

Alterum argumentum est; quoniam sensus animalibus omnibus communis est, eoque cum cetera fruuntur: ratiocinatio propria illorum est, peculiaris, quibus inest ratio; hoc est solis hominibus, aut si quod est aliud eiusmodi animal, vt in tex. 29. antea dicebatur: & omnino perpancis, vt in superioribus verbis affirmatum est. Quæ pro hoc commune argumentum est, quo tum sapientum intelligere diuersum esse à sensu demonstratur.

Quamquam Themistius argumentationem priorem secus exposuit: bipartitoque diuisit, ita vt duas contineret. Alteram; Rectæ rationis virtutes sunt, prudentia, scientia, opinioque vera, virtutes autem, imprudentia, inscientia, & opinio falsa. At nullum horum conuenit sensui: intellectus igitur & sensus non sunt idem. Alteram verbis illis contentam (neque hoc vtique idem est quod sentire). Quoniam sensus circa obiecta propria verus est, vixque fallitur vnquam: intellectus contra sæpius in proprijs errat, quàm in communibus; hoc est circa res singulas potius, quàm circa naturas vniuersas. Sanè vtraque argumentatio ad id, quod agitur confirmandum opportuna est: sed Aristotelis verbis minus accommodata, nihil multa omnino addantur. Verbaque illa (neque hoc vtique idem est quod sentire) cum orationis initio coniungenda sunt; vt probandam propositiōnem contineant, Neque intelligere idem esse quod sentire.

Digressio x. Quid Aristoteli diuina, quæ
sunt in se.

Verum illud mihi prætermittendum non est, quod cum in commentarijs 2. lib. sæpius adnotauerim, diuina Aristoteli ad se, intellectum, pertinere & mentem; id ex hoc loco triplici argumento manifestissimū est. Primum, quōd vt intellectum à sensu separatū esse ostenderet, vt Aristoteles, quod sanè diuina operationem significat, opposuit sensui; cum sensum semper esse verum dixit, diuina autem posse esse cum verum tum falsū. Non igitur ad sensum, sed intellectum pertinet diuina. Alterum; cum vt verum esse imprudentiam, scientiam, & opinionem veram partitus esset, & vt verum quod est in ea, quæ illis contraria sunt (quæ omnia certum est ad intellectum pertinere) statim subiungit diuina, quasi idem sit, aut certē ad eandem pertineat facultatem, ad quam pertinet veritas. Tertium; quōd apertis verbis diuina dixit nulli inesse, cui non inest ratio: quoniam videlicet operatio quædam rationis est. Cui simile est, quod in primo lib. de part. anim. cap. 1. cum disputaret, naturalis philosophi non esse de intelligente anima disserere; postquam vt & non vt nominasset; latioris principium aliud quidquam esse, non vt notat, hoc argumento probat; quoniam ratio in alijs item animalibus inest, diuina verò in nullo alio, quàm in homine, vt igitur, vt notat & diuina ad eandem animæ vim pertinent.